



Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 358. De traditione Rothgeri bonorum in villa Coxtidi in pago Svevon, de villis ad hung pagum olim relatis, nec non de origine comitum de Conradesburch, Hakelingen et Plocike.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

§. 357.

Tradidit sigibertus pro filio suo sigiberto I famili. in nighunburni (W)

et gubernante
Corbeiam Go-
descalco.

§. 358.

Tradidit rothgerus pro patre suo luithario et fratre suo oddone unam
familiam in coxtidi (X).

§. 359.

exstitisse in Hildesheimensi episcopatu in regione oppidorum Gronau et Elze, vidimus iam supra. *Lide* procul dubio est vicus *Lede*, iam desolatus, olim reperiundus non procul ab oppido Gronau. Templum huius vici adhuc ibidem conspicitur. Ipsis nostris oculis illud saepe et adhuc anno 1739 vidimus. *Ailhardum*, cuius nomen contractum est ex *Adelardo*, qui hos duos mansos, ad villam *Lide* sitos, donauit, supra retulimus ad nobiles dominos de Hoiboken. Quamvis enim *Lede* ad dominium Homburgente spectaret, vt patet e diploma te supra allato, negari tamen non poterit, nobiles dominos de Hoiboken ab Homburgensibus defluisse.

(W) *Sigibertum* referendum esse ad progenitores nobilium dominorum de Homborg, De villa et nomen et dona eius probant. *Nighunburni* enim villa, in quo ille vnam fa- Nighun-
miliam tradidit, erat in pago Wikanuelde, Sarachone tefte. Designari intelli- burni in
gitor vicus *Negenborn* situs inter monasterium Amelungesborn et oppidum Be- pago
vern in Brunswicensi ducatu, olim spectans ad iura nobilium dominorum de Wikan-
Homborg, vt patet e litteris *Henrici dei gratia domini de Homborg*, in quibus ex uelde,
consensu Bodonis filii et Bodonis cognati Amelungesborneribus confert dimidium
decima in Negenborn pro remedio anime uxoris sua domina Mechtildis, testanti-
bus adhibitis *Bernardo C. de Brakel*, *Ludolfo comite de Dasle*, *Hartungo de Aulica*,
Conrado de Berneroде aliquis, quam donationem patrui sui *Henrici Bodo de Hom-*
burg anno 1271 confirmavit, sigillumque addidit *comes Lodewicus de Euerstein*.
Hilce litteris subscripterunt *Heinemannus et Conradus fratres*, *dicti dapiferi*, et
Henricus de Lutbardeſſen, *milites*, nec non *Henricus Rebeck et Florentius frater*
eius, *famuli*. Exstinctis nobilibus Dominis de Homborg, et translato dominio
Homburgico ad serenissimos Brunswicensium ac Luneburgensium duces, *Henri-*
cus senior consensu fratris Erici declarat, *Wilhelmu patrem oppignorasse Amelung-*
borenſi abbati Wernerō pagum deuastatum Niegenborne iuxta caſtrum Euerstein situm
700 florē renanis et XII Gottingensibus marcis, prout anno 1490 aetum fuit
Hardegas in vigilia nativitatis Marie. Cum igitur nomen Sigiberti idem sit,
quod Siberti, Siwerti, seu Sigeſtri, quod inter Northeimenses atque Hombur-
genses crebro repetitum deprehendimus, stupidus sit, qui reddi probabile non
intelligat, *Sigibertum* cum filio suo cognomine ad progenitores comitum de
Northeim spectasse, quippe inter quos *Sigeſtridus comes fundator monasterii Ame-*
lungesbornerensis, cuius ecclie filia est ecclie in *Negenborn*, exſlit. Quæ
iam supra §. 104 not. (1) demonstrauimus, consuli hic fortassis haud sunt in-
digna.

(X) *Coxtidi* villam fuisse in pago *Sueuon*, docet nos abbas noſter Saracho in R. B. et De villa
P. A. C. Huius pagi in his traditionibus nondum meminimus. Data ergo hac Coxtidi
occasione quærimus, quanam in regione ille pagus exſitterit. Norunt plurimi, in pago
eum ad dioecesin Halberstadensem olim spectasse. Id pater ex imperatoris Lu-
douici diplomate, quod exhibet I. G. Leuckfeld in *Antiq. Græningens*. p. 10. seqq.
Quamvis enim illud diploma non sit omni exceptione maius, quia in eo annus
incarnationis Christi 814 appetat, qui alis genuinis diplomaticis ante annum
877 addi non solet, procul dubio tamen satis verulatum id diplomaticis est. Nam
in eo diploma antiquitatem redoleret, quod pagum *Sueuon* ad dioecesin Halbersta-
densem refert. Hoc ipsum appetat et *Cronico Halberstadensi*, edito Tom. II.
S. R. B. Leibniti p. 121. In aliqua igitur episcopatus Halberstadensis parte
pagum *Sueuicum* exſtitisse oportet. Inter pagos Hardego atque Hasugo eundem
pagum *Sueuon* olim fuisse repertum, pater ex Annalibus Frane. Fuldenſ. T. I.
S. R. G. Freheri p. 29. vbi ad a. 852. ita loquitur auctor: *Hludouicuſ - Coloniaſ*

Aaa a

pro-

PH


Ab anno
890 usque
900 re-
gnante
Arnolfo

profectus est in Saxoniam, ubi in loco, qui appellatur *Nimia* super annem, quem *Cornelius Tacitus* scriptor rerum a Romanis in ea gente gestarum, *Vifurgin*, moderni vero *Wifuracha* vocant, habito generali conuentu, tam causas populi ad se perlatas iusto absoluit examine, quam ad se pertinentes possessiones iudiciorum gentis decreto recepit. Inde transiens per *Angros*, *Harudos*, *Suabos*, et *Holsingos*, et per mansiones singulas, prout se praebuit opportunitas, causas populi iudicans, *Thuringiam* ingreditur, ubi apud *Erfesfuri* habito conuentu decreuit etc. Quibus e verbis concludimus primo, regem *Hludouicum* conuentum generalem populi habuisse in loco dicto *Nimia*, per quem designari non intelligimus Mindam urbem in principatu Mindensi. Alii sic opinantur. Designatum existimamus locum *Nime*, in Mündensi praefectura principatus Göttingensis situm, vel locum *Nimende*, vti in Chronico nostro MScto appellatur, ad *Wiferam*, postea dictum *Bursfelde*, ubi olim Benedictinum monasterium fuit, ob reformationem Bursfeldensem ordinis D. Benedicti clarissimum. Hoc generali conuentu dimisso et ab soluto, *Hludouicus* deinde iter suum direxit per principatum Göttingensem seu pagum *Logne*. Hunc *Angaria* fuisse partem, iam demonstrauimus supra, commentati ad pagum *Hardego*. Huius pagi incolas sine dubio designat auctor *Annalium* per *Harudos*. His contermina gens fuere *Suabi*, Iuxta hos egerunt *Holsingi*, id est, incola pagi *Hafugo*. Quodsi igitur pagus *Hardego* fuit in montibus Harzicis atque in principatu Halberstdenii circa urbem Halberstadtum ac oppidum Gröningam, atque *Hafugo* pagus existit in aliqua comitatus Mansfeldensis parte ac Merseburgensi Principatu, vti iam supra demonstrauimus, tunc porro exinde sequitur, pagum *Sueuon* in aliquo principatu, Halberstdensis atque Anhaltini, parte praesto fuisse, quippe que inter Groningam et Merseburgum iacet. Incole pagi illius *Sueuon* a *Widekindo* nostro *Annal. Lib. I. p. 634* appellantur *Sueui transbadani*, vti in nostro MScto legitur, non vero *transalbini*, vti *Meibomiana* editio habet. Indicat *Widekindus* *Sueuos trans Badam* seu *Bodam fluum*, qui in montibus Harzicis ortus, et porro Quedlinburgum, Groningam, Egelen et Stasfordiam alluens, tandem ad Nienburgum in Salam aenergir. *Trans Bodam* ergo fluum pagus *Sueuon* olim fuit reperrus. Id ipsum demonstrant villa, in diplomatis eidem pago tributa, qua erant anno 941 *Osteregilum* et *Westeregilum*, id est, *Osteregelen* et *Westeregelen* ad fluum Bodam in Magdeburgico ducatu, a. 944 *Rodigareisrode*, 959. *Bebanthorp* seu *Bebonthorp*, 978. *Haldisleuuua* (an *Hildesleue?*) *Rodistorp* (an *Roderstorff* haud procul a vico *Wegeleben* in principatu Halberstdenii?) et *Widerflede*, *Widersteedt* in principatu Anhaltino; anno 1049 *Ibersleb*, *Harsleben*; 1050 *Hederleue* et *Oticherleue*; 1063 *Regensfede*, *Reinstedt* non procul ab oppido *Ermsleben*; 1064 *Ratere*, *Reder* haud procul a monasterio *Ballensted*, et *Pickelingen*; 1073 *Aimersleuo*, *Welpesleuo* (*Welphsleben* in principatu Anhaltino) *Padabrunno* (*Badeborn* ad flumen dictum die *Selcke*) *Weibolte*, *Rotbaltasburg* (an *Roderburg* non procul a vico *Egelen?*) et *Emmalestorpe*; 1083 *Bathesleuo* (*Badersleben*), *Adensledi* (*Aderstedt* inter oppida *Bernborg* et *Plotzkau* in principatu Anhaltino) et *Turtbinge*. His villis traditiones nostrae addunt villas omnium antiquissimas, scilicet *Coxfidi*, et §. 406. *Stesforde*, *Stesforde* est procul dubio *Stasfurt*. *Coxfidi* est *Cochstedt* oppidum, in principatu Halberstdenii orientem versus situm, duo milliaria distans a monasterio nostro *Groninga*, positum iuxta filiam *Hakel* dictam. Hanc villam *Cochstedt* municipium fuisse Ascianiorum comitum, quorum posteri iam sunt serenissimi principes Anhaltini, refert auctor *Vindicularum Anhaltinarum* p. 5, quem *Maritimus Milagium* quondam *Dessauensem Cancellarium* fuisse, vulgo plerique prædicant. Quemadmodum autem haec optimo niti tali confidimus: ita non proflus dubitamus, *Ottonenem* ac *Rotgerum*, qui in villa *Coxfidi* bona quedam tradiderunt, inter progenitores Anhaltinorum principum esse referendos. Cum igitur *Volcmarus* filius fuerit *Luitbarri I*, qui *Endam* Luidolfi ducis Saxonie filiam habuit in matrimonio, Otto noster et *Rotgerus* fratres *Volcmari*, et filii eiusdem *Luitbarri* fuerunt. Probabile enim est, *Ottonenem* nostrum ab aucto suo *Oddone* comite nomen traxisse, de quo confer §. 188. Cum porro comes *Bernhardus de Plozzike*, resti diplomate Rudolphi Halberstdenii episcopi in Historia Anhaltina *Becmanni* Tom. I. p. 143. reperiundo, anno 1145 Abbatissę *Irmengarda* in Chakelingen (*Hecklingen* in principatu Anhaltino) in proprietatem tradiderit quatuor ecclesiias in *Stasforde*, in *Altendorp*, in *Chocfede*, et in *Winningen* sitas cum omnibus eorum

per-

pertinentiis, quantum ex paterna sorte hereditatis sibi obtigerat, consentiente, et gubernante ad stipulante, marchione *Adelberto*; dicitur ex eo, ad *Bernardum de Plozzike* iure hereditario bona in villis *Stasforde* et *Cochfled* pertinuisse. Quodsi itaque *Bernardus de Plozzike* originem ducit ab *Egenone I. de Conradesburg*, cuius castrum situm erat medio in principatu Anhaltino, probabilissime iste *Egeno* scalo. *de Conradesburg*, quem seculo X vixisse oportet, nepos illius *Ottonis* fuit, qui in villa *Cochfled* quedam largitus est ecclesie Corbeiensi. Cum ergo una tantum persona desit, illa verisimiliter fuit *Alfricus*, qui, testante §. 406, in villa *Stesforde* in pago *Sueuon* partem quandam salinarum abbatis tradidit Corbeiensi. Probat id villa *Stesforde*, probat id etiam nomen eius. Quemadmodum enim e diplomatico Rudolfi episcopi patet, locum *Staruorde* ad iura spectasse comitum de *Plozzike*, sic probabilissimum erit, *Aluerico*, nepoti *Eginonis de Conradesburg*, nomen esse inditum ab *Alfrico* nostro, qui in eadem villa *Starvorde* bona quedam largitus est. Stemma genealogicum comitum de Conradesburg egregie post Ecardum in *Historia Geneal. p. 514 seqq.* expeditum viri illustris Io. Ludov. Lev. Gebhardi in *Aquilon. Marchion. p. 76. seqq.* Quod adiungere voluere erit, additis tamen quibusdam, que ille non habet. Eos, qui probationes querunt, ad librum Gebhardi Cel. prae dictum ablegamus.

Abbo princeps Saxonum 785.



Aaaa 2

PH